

VERNIS CORONAM FLORIBVS VNDIQVE

Textam, supernum nectar olentibus,
Thomistico nutritis in horto,
Angelico madidisque rore

ECCLESIAE LAMPADIBUS

D. AUGUSTINO, ET D. THOMÆ.

*Quem, nisi te, nostri, Pater Augustine, laboris
Quæserim ut Custos, Præsidiumque foret?
Quem nisi te Thomâ, totis regionibus exul
Quæserim, ut nostris floribus esset homo?
Suscipite hanc ergo contextam flore coronam;
Gloria quâ eadem, sitque corona eadem.
Hâc modo floricomâ radiantem cingite frontes,
Marcescant, Boreâ neu feriente, comæ.
Sic & inoffensa duplicatâ luce nitebunt,
Luce quidem Thomæ, denique luce tuâ.*

D. V. C.

P. Fr. IOSEPHUS A PURIFICATIONE,

In Regali Conventu S. Dominici Ulyssiponensi, die integrâ 24 Junii.

Præside P. Fr. DOMINICO A S. THOMA,

Artium Lectore.

*Continui partes scrutatur quæstio princeps
Quas inse extensas continet aliquotas.*

De Proximalibus Logicæ.

De Universalibus.

- 1 **D** Enegat haud equidem quidquid natura necessum,
Idcirco nobis contulit & Logicam.
- 2 Sit licet una docens, utens sit & altera quamvis,
Unicus ac simplex attamen est habitus.
- 3 Simpliciter nobis contemplativa videtur:
Et perfectè alias hæc sine nemo sciet.
- 4 In rebus fictum quidquid de mente resultat,
Formale objectum dicimus esse suum.
- 5 Hoc objectivè tener esse in mente; voluntas
Non etenim agnoscat, fingere cæca nequit.
- 6 Corporei sensus, etiam qui idola figurant,
Factores entis nec rationis erunt.
- 7 Et licet alisonans magni Regnator Olympi
Omnia cognoscat, non tamen illa facit.
- 8 Per speciem physici distinctè noscitur entis
Impressam, existens attamen est animâ.

- 9 **E** Sse unum in multis universale fatentur
Quis savel ut filiis magnus Aristoteles.
- 10 Constituit Logicum rationi s forma relatnm,
In quibus esse potest, inferiora ad ea.
- 11 Objectiva gradus ergo distinctionobis
Humanos inter jure sequuta placet.
- 12 Formalis Scoti in tenues vanelect aristas,
Si quis eam ingenio clarificare velit.
- 13 Ut genus in species divisum est quinque supremum,
Quarum naturas, cui velit, ipse dabo.
- 14 Prima, genus, species positivo est ordine sistens,
Quo distincta prius respicit in specie.
- 15 Sic genus ad Logicum species non sufficit una,
Nec Genus hoc dabitur, quod careat spec.e.
- 16 Ad subjecta ordo numero distincta secundam
Nempe relativus constituit speciem.

- 17 Natura Angelica; siquidem non plura repugnant
Concepta, Logice clauditur in specie.
- 18 Tertia, quæ generis divisiva, ordine sistit,
Quo plura & numero respicit, ac specie.
- 19 Constituit Proprium positiva ratio ad illa
Inferiora, in quibus esse necesse potest.
- 20 Ultima consistit supposita in ordine ad illa,
Ut quid contingens in quibus esse potest.

De Ente Prædicamentali.

- 21 **O**mnia transcendit quantumlibet infima, quidquid
Imbibit, ens in se fingere meo poterit.
- 22 In diversa decem partitur quodque supræma
Ens genera; illorum sed nequit esse genus.
- 23 Sic descripta, genus primum, substantia nostro
Ens per se existens: est ab Aristotele.
- 24 Sub se finitum quicquid substantia claudit:
Ergo illa claudi non Deus ipse potest.
- 25 Illius ingreditur seriem de Virgine natus,
Non quia Divinus, sed quia factus homo.
- 26 Ens per se extensum; quis dicit quanti-
tatem non bene describitur nullus erit, reputo.
- 27 Non leve fit dubium illius quæ essentia: dico
Partem integram esse potest trans aliam.
- 28 Hic etiam effectus primus, substantia eorum
Extensa in partes hæc sine non remanet.
- 29 In duo partitur tanquam in totalia membra,
Unum discretum, continuumque aliud.
- 30 Accipitur nobis rellatio vera realis;
Natura istius respicere est aliud.
- 31 Hæc speciem solum non à fundamine sumit;
Namque etiam præbet terminus huic speciem.
- 32 Terminus ipsius physice distinctus ab illa,
Fundamenque mihi dicitur, atque liber.
- 33 A bnuitur nobis & per se motus ad illam,
A fundamento hæc forma resultat enim.
- 34 Mutua quæ haud est, absolutum terminat illam;
Atque relativum, mutua quæ fuerit.
- 35 Haud aliquam fundare potest substantia nuda,
Unaque fundamen esse nec alterius.
- 36 Altera qualificans subjectum forma realis
Omnimodè in quatuor dividitur paria.

De Posteriori Resolutione.

- 37 **S**igna dari agnoscunt humano semine nati,
Signorum quisvis omnibus usus erit.
- 38 Transcendentali consistit in ordine signum,
Significatum que respicit ut medium.
- 39 Esse creaturæ Divina Essentia signum
Iure nequit, signum est inferius siquidem.
- 40 Signum objective tantum concurrere dico,
Ut mente agnosci significata queant.
- 41 Omnimodè in duplex partitur denique signum,
Naturale unum est, ad placitum que aliud.
- 42 Impressam speciem à signis removere licebit,
Non tamen expressam, dum via trita patet.
- 43 Signorum brutis proprium haud competit usus,
Externis pariter sensibus, atque Deo.
- 44 Præmissis constat bona demonstratio solis,
In recto, ut causa quæ generant habitum.
- 45 Mentalis præmissa nequit comparata haberi,
Quamquam objective plurima deliteant.
- 46 Verior ac aliâ non est formaliter una:
In fundamento verior esse potest.

- 47 Objecto de contingenti nulla futuro
Est vera, aut falsa est ante decreta Dei.
- 48 A quibus, ut causis, producta scientia, simplex
Unicus ac habitus dicitur, atque placet.
- 49 Una subalternans est, quæ sine nemo scientis
Contentam sub eâ nomen habere potest.
- 50 Circa idem objectum simul hæc & opinio pugnant;
Ista quia incerta est, certus & illa habitus.

De 1. Physicorum.

- 51 **E**sse scientificum Physicam sentire tenentur
Vere habitum, quamquam Socrates hoc r. mutat.
- 52 Illius objectum est formale ens mobile: corpus
Objectum dico materiale suum.
- 53 Mobilis haud mihi naturalis displicet entis
In fieri tantum principia esse tria.
- 54 Materia est primum subjectum, quæ ordine rerum,
Nec positive una est in numero, aut specie.
- 55 Includum in se quæ nullum continet actum,
In genere est entis pura potentia enim.
- 56 Implicat in rerum naturâ existere formâ
Privatam, ideo non Deus hoc faciet.
- 57 Hæc simul innatè formas non appetit omnes,
Sed successive, haud compatiuntur enim.
- 58 Principium Formam naturæ esse secundam
Antiquos contra sentit Aristoteles.
- 59 Materiam primum nobis hæc dicitur actus;
Distinctum & physice dicimus esse ab eâ.
- 60 Sublunaris, quæ fuerit substantia, forma,
Non Rationalis, materiâ extrahitur.
- 61 In toto physico distinctio nulla realis
Accipitur sumptis partibus atque simul.
- 62 Jure supervacuo copulans extrema frequenter
A nobis vexus respicitur medius.
- 63 Quærenti demum quid substantia: dicam:
Pro toto physico dicitur una dari.
- 64 Ut res à re à naturâ distinguitur ista,
Personam physice constituit siquidem.
- 65 Ultimus est actus physico existentia toto
Adveniens ejus terminus est etenim.
- 66 Consensu unanimi est distincta essentia ab istâ
Illorum, nectar quos nutrit Angelicum.

De 2. Physicorum.

- 67 **P**incipium, & causam motus, aliquando quietis,
Naturam magnus dicit Aristoteles.
- 68 Naturæ ratione carent sine corpore mentes
Angelicæ, motu namque carent physico.
- 69 Materiam, ac animam, nec non & mobile Cælum
Naturam, ac etiam dicimus Empyreum.
- 70 A Domino insertur passo violentia nulla,
Cum passi authorem consideramus eum.
- 71 Attamen inferri posset violentia passo;
Si, velut, ille ageret, particularis homo.
- 72 Quærenti dabitur bona distinctio causæ;
Quæ in quatuor nobis dividitur genera.
- 73 Hic numero effectus causâ pendente totali
Divisim haud poterit, nec simul, à duplici.
- 74 Materiam numero substan-que-tialis eandem
Informare simul forma duplex nequit.
- 75 Materia & formâ non informatur eadem
Totalis duplex; implicat hoc etenim.
- 76 Effectum mediante suâ substantia causat
Virtute, essendi est proximum enim initium.

- 77 Quisne simultaneum concursum jure negabit,
Influit in factum quo simul ipse Deus?
78 Prævis Angelico munitus cuspidè contra
Hostiles acies Io triumphè canit.
79 Libertas causæ concursu haud tollitur isto,
Nam libertatem perficit hic potius.

()

De sex ultimis Physicorum.

- 80 **Q**uærenti dabitur motus natura libenter,
Quam cygnus noster concinit Angelicus.
81 Consummativè in passo egressa actio inhæret,
Initiative ac est in agente simul.
82 Naturâ in rerum nullum divinitus actu
Quantum infinitum, aut quale dari poterit.
83 Circumscriptivè corpus simul esse duobus
Cunctipotens faciet nec Deus ipse locis.
84 Atque duo solum divinitus esse in eodem
Obnixè tueor corpora posse loco.
85 Naturâ in rerum vacuum nil, si tamen esset,
Motari possent corpora per vacuum.
86 Mobilis est primi tempus duratio motus
Successiva prius, posteriusque tenens.
87 Per nullam poterit labens existere partem
Tempus, in instanti dicimus esse tamen.
88 Continuum partes, exquis componitur, actu
In se se unitas continet aliquotas.

()

()

De Mundo, & Cælo.

- 89 **A** Domino spatiosi optus admirabile mundi
Constructum verbo dicitur in Genesi.
90 Mense fuit factus Martis de nomine dicto,
Augustinus ait, quod mihi jure placet.
91 Æternum quodvis successivum esse nequivit.
Æternum, quidquid permanet, ast potuit.
92 Materia à sublunari est diversa polorum
In quantum formam connotat illa suam.
93 Dicimus illorum formas simul esse creatas
Principio mundi, dicitur ut Genesi.

()

De Generatione, Corruptione, & Animâ.

- 94 **Q**uærenti demum quid sit generatio, dicam:
Subjectum illius, terminus & pariter.
95 Usque ad materiam certè resolutio primam
Fit, cum subjectum transit ad esse aliud.
96 Non poterunt numero acci-duo sic dentia solo
Distincta inquovis, scilicet, esse, Petro.
97 Esse animæ dicam quærenti denique totum,
Dividitur nobis in triplicem hæc animam.
98 Hanc creat ex nihilo non enarrabile numen,
Unicus atque actus, corporis est anima.
99 Unus agens datur intellectus, denique & alter
Possibilis, quorum munera quæque dabo.
100 Istius objectum cognoscibile esseque verum,
Asserit ille animâ, qui neque mente caret.

()

ULYSSIPONE,

Ex Typographia MICHAELIS DESLANDES,
Serenissimi Regis Typhographi.

Cum facultate Superiorum. Anno M. DC. XCVI.



(1780) ...

De ...

A ...

(1780) ...

De ...

Q ...

...

(1780) ...

De ...

Q ...

(1780) ...

ULYSSIPONE

Ex Typographia MICHAELIS DESLANDER

Scrutinissimi Regie Typographi

Com. Jacobi ... Anno M. DC. XCVII

